





DE INEFFABILI  
**TRINITATIS**  
MYSTERIO  
**ORATIO**

*Habita in Sacello Pontificio*

AD SANCTISSIMUM D. N.

**CLEMENTEM XIII.**  
PONT. MAX.

A COMITE CAJETANO STAMPA  
PATRITIO MEDIOLANENSI  
Collegii Clementini Convictore .



ROMÆ MDCCLXI.

Ex Typographia Chracas , propè S. Marcum in via Curfus .

---

*SUPERIORUM PERMISSU.*

DEPARTMENT OF

# STATISTICS

OF THE

UNITED STATES

AND TERRITORIES

FOR THE YEAR

# 1900

1900

1900

1900

1900



1900

1900

1900

( III )

*Sanctissimo Domino Noſtro*

CLEMENTI XIII.  
PONTIFICI MAXIMO

CAJETANUS STAMPA

FELICITATEM.



*Uisquis, BEATISSIME PATER, mei consilii causam, rationemque cognoverit, una & id, quod facio, probabit, & in hac occasione, fortunaque mea neminem mihi esse præponendum judicabit. Nam si egregiæ indolis juvenes, antequam Spartæ, quam nacti es-*

*sent, ornandæ se accingerent, comæ primitias sacrare consueverunt; quis mihi jure succenseat, si rudimenta adolescentiæ jam jamque positurus, novumque vitæ stadium cursurus, priusquam me in adspectum, lucemque proferam, quam perbreuem Orationem auribus accipere non es dedignatus, hanc tuis pedibus aduolutus Tibi humillime offerendi honore per quam maximo afficiar, & integerrimo Christi Vicario tanquam votum nuncupandi pro nova vitæ ratione suscipienda, atque ingredienda? Nec sane in dubium vocare mihi unquam penitus insedit, quin Tu hoc paruum obsequii mei, religionisque munus ea, qua polles, benignitate complectaris, cum pulchre noverim summo Hebræorum Sacerdoti, cujus Tu personam non suscepisti modo, sed illi quoque tam longe dignitate excel-  
 lis, quam Mosaycæ legi præstare Christi Gratiam scimus, unum quemque diem fuisse a Deo destinatum, quo ipse oblatas quarumcunque rerum primitias a quibusvis hominibus exciperet. Nulla  
 autem*

autem de virtutibus tuis plurimis nec gratior, nec admirabilior pietate, & benignitate est. Illa Pontifex ex hominibus assumptus (a) pro hominibus constitueris in iis, quæ sunt ad Deum, ut offeras dona, & sacrificia pro peccatis; adeasque cum fiducia (b) ad thronum Gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hac vero proximos Deo honores occupas: homines enim ad Deum nulla re propius accedunt, quam beneficentissimam erga alios benevolentiam habendo. Nihil porro habet nec dignitas tua majus, quam ut possis, nec natura tua melius, quam ut velis omnibus consulere, & opem, & salutem ferre. Hanc meam igitur, quantulacunque est, lucubrationem, quam Tibi ad pedes stratus do, dono, & dico, ne Tu asperneris vehementer precor. Interim dum a D. O. M. enixe peto, ut omnibus tuis rebus agendis, quod bonum,

A 3

---

(a) Ad Hebræ. 5. 1.


(b) Ibid. 4. 16.

( VI )

*num, felix, faustum, fortunatumque sit,  
id ipsum eveniat, ne Apostolicam tuam Be-  
nedictionem mihi, & contubernalibus  
meis, totique Collegio Clementino de-  
ges, etiam atque etiam rogo.*







# ORATIO.



RCANUM TRINITATIS Sacramentum ,  
BEATISSIME PATER , divina , ac  
proinde certa significatione constare  
lætor , cum vetera , & nova me-  
moria repeto , quæ in Dei naturam ,  
atque unitatem prophani homines  
objecere . Non enim affirmem in Pythagoreis som-  
niis , chartisque Socraticis nonnulla reperiri vesti-  
gia ; sed illud testor non in nupero solum Testa-  
mento perspicue denuntiari , verum etiam in prisco  
quasi adumbratum videri . Hinc qui Demiurgum ,  
quive duo Principia inter se repugnantia commini-  
scebantur , ii merito damnantur : quinetiam non mo-  
do Ebionitæ , Samosateni , Artemonitæ , qui secun-  
dam TRINITATIS Personam Deum esse ; & Mace-  
donii , Ariani , Eunomitæ , qui Spiritum Sanctum  
aut Patri æqualem , aut a Patre , Natoque procedere  
infi.

inficiati sunt; sed & recentes Deistæ, qui, quæ de Deo prædicantur, ea vel impudenter negantes, vel perperam pronuntiantes, a TRINITATIS fide immane quantum discrepant! Quare eam sapienter sanctissimæ (a) religionis fundamentum, & veritatis vinculum nonnulli vocarunt: Tibique in primis hoc hæret animo ita infixum, ut in majus hujusce cultum provehere constitueris. Cum autem altiora me quærere (b), majestatemque scrutari vetet (c) Sapiens, ne opprimar a gloria; & coram ipso Sacerdotii splendore magis pœniteat cœpisse, quam liceat desistere; quid minus indecore ostendam, quam totam TRINITATEM in nostræ reparationis, atque salutis opus concurrere?

Ac ut ratio hoc evincat, animadvertendum est longe plurimum videri in humani generis sanctificatione, quam in Mundi ædificatione Deum negotii habuisse. Atqui vel ex rerum, quæ nobis ante oculos obversantur, opificio Spiritus cum Patre, & Filio communionem haud obscure cognoscimus. Quoad cœlestes enim intelligentias, creationis modus silentio est prætereundus, quem ipse Moses tacuit, & tacendum putavit. Quanquam si invisibilia (d) a creatura Mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, glorificemus oportet conditorem, in quo condita (e) sunt universa in cœlis, & in terra visibilia, & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, & si quæ aliæ sint rationales naturæ, quæ nomine careant. In horum

---

(a) Bernardus Zane Archiepiscopus Spalatenfis Orat. hab. in I. Sess. Conc. Later. sub Julio II. ex Collect. Labæ. Tom. XIX.

(b) Ecclesiast. 3. 2. (c) Prov. 25. 37. (d) ad Rom. 1. 20.

(e) ad Coloss. 1. 16.

horum autem creatione vult Magnus Basilius (a) principem eorum causam, quæ fiunt, Patrem a nobis considerari, efficientem Filium, perficientemque Spiritum Sanctum; ut Patris voluntate administrent, actione Filii existant, Spiritusque præsentia perficiantur. Angelorum vero perfectionem esse sanctificationem, & in hac perseverantiam nemo non videt. Quamobrem si hominem (b) minuit Deus paulo minus ab Angelis, quis ibit inficias tres TRINITATIS Personas ad nos sanctificandos consociari? li enim, qui natura, (c) filii iræ sunt, quomodo renasci possent ex aqua, & Spiritu Sancto; aut qui servierunt (d) creaturæ potius, quam creatori, qui est benedictus in sæcula, quomodo sua membra exhiberent servire justitiæ in sanctificationem (e), sicut exhibuerunt membra ipsa servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, nisi Deus, qui potentiam suam parcendo maxime, & miserando manifestat, ipse quidem possit, sciat, velit illos convivificare in Christo, & conresuscitare (f), & confedere facere in cœlestibus in Christo Jesu, in sæculis supervenientibus abundantes divitiis gratiæ suæ in bonitate super eosdem ostendens? Nam profecto quid aliud est, quam Patris Omnipotentia, quæ nostras rebelles compellens voluntates, simul & ea, quæ velit, jubere, & quæ jubeat, eadem ut faciamus præstare possit? Quid aliud est, quam Sapientia Filii, quæ visitans nos oriens ex alto (g), illuminare eos, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent, vocatosque

de

---

(a) *Lib. de Spir. Sanc. cap. 16.* (b) *Psal. 8. 6.* (c) *ad Eph. 2. 3.*  
 (d) *ad Rom. 1. 25.* (e) *ibid. 6. 19.* (f) *ad Eph. 2. 5., & seq.*  
 (g) *Luc. 1. 78. & 79.*

de tenebris in admirabile lumen suum (a) in viam pacis dirigere sciat? Denique quid aliud est, quam Bonitas, dilectioque Spiritus Sancti, quæ auferens cor lapideum (b) de carne hominum, cor mundum creare velit in eis (c) Spiritumque rectum in eorundem visceribus innovet?

At ne quis forte credat tres a me originales hypostasas poni, operationemve Filii, aliarumve Personarum TRINITATIS mancā mihi, atque imperfectam esse videri. Quæ etenim sunt, eorum unum est initium per Filium condens, & in Spiritu perficiens. Itaque veluti ex catena, ut ait idem Basilius (d), extremum unum qui apprehendit, alterum & extremum attraxit; sic Spiritum qui attraxit, quemadmodum inquit Propheta, & Filium, & Patrem simul traxit per ipsum. Ergo si Pater in omni opere manuum suarum est a Filio, & Spiritu inseparabilis; quisnam præsertim in ipso nostri ortus exordio veram TRINITATIS professionem, admirabilemque discretionem conjunctam, & conjunctionem discretam non intelliget? Non enim dixit, *facito*, sed *faciamus hominem* (e): nimirum, testatur ipsemet Basilius (f), ne qui Patrem agnosceres, Filium ignorares; ut scires Patrem per Filium fecisse, & Filium paterna creasse voluntate, hymnisque Patrem in Filio, & Filium in Sancto Spiritu extolleret. Homo igitur non qui foris est (g), hic enim corrumpitur, sed qui intus, renovaturque de die in diem, a totius TRINITATIS cura, atque benignitate

---

(a) 1. Petr. 2. 9. (b) Ezech. 11. 19. (c) Psal. 50. 12.

(d) Epist. 38. ad Gregor. Fratrem. Edit. Maur. (e) Gen. 1. 26.

(f) Orat. 1. de Hominis structura. (g) 2. ad Corinth. 4. 16.

( XI )

te ad imaginem, & similitudinem suam creatus fuit: hujusce vero *Trinitatis* Personæ in ejusdem hominis justificationis negotium non conspirabunt? Ergone, ut efficeremur justitia Dei in Christo (a), istius cœlestis hominis imaginem portantes, minus interfuisse *Trinitati* dicendum, quam ut imaginem terreni portarem (b)?

Enimvero Pater, qui est Deus omnipotens, & clemens, cujus natura bonitas, cujus opus misericordia est, ut optime testatur Sanctus Leo (c), ipse profecto neque in conferendis beneficiis defatigatur, neque ab ingratis, aut flagitiosis hominibus suam voluntatem alienat. Filius autem, quem Deus constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula (d); ipse splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ; ipse lux in tenebris lucens (e), & ipse Deus, misericordia motus non vilem modo hominis naturam sumpsit, sed etiam contumeliarum mole tanquam fluctu obrutus sacram subiit mortem, ut morte sua vitam hominibus, libertatemque restitueret; & his esset via, quæ errare, veritas, quæ decipi, vitaque demum, quæ mortales occumbere non pateretur. Tandem Spiritus Sanctus, ex iis charitatis flammis, quibus sese Pater, Filiusque amplectuntur, procedens, ipse quidem est, a quo pax, gaudium, & solatium, a quo justitia, integritas, & innocentia, a quo libertas, sanctitas, & perfectio, omniaque cœlestia munera proficiuntur. Quæ cum ita sint, quis adeo penitus non perspiciet concordiam trium Personarum, ne  
omnes

---

(a) *ibid.* 5. 21. (b) 1. *ad Corinth.* 13. 41.

(c) *Serm.* 2. *de Nat. Dom.* (d) *ad Hebræ.* 1. 2. & 3. (e) *Joan.* 15.

omnes pro nobis stare judicet? Quis est, qui harum consensum conspirantem, & pene conflatum in nostræ salutis opus non noverit? Credenda igitur, & suppliciter, demisseque colenda, & quoad ejus fieri potest, vehementissime amanda nobis est sanctissima, & incomprehensibilis *Trinitas*; Pater siquidem, qui creavit nos, Filius, qui redemit, & Spiritus Sanctus, qui nobis summam cœlestium donorum copiam largitus est: Pater, inquam, cujus omnipotentia fulcitur, ac sustentatur, Filius, cujus sapientia nos regendos suscipit, & Spiritus Sanctus, a cujus bonitatis fonte beatam vitam haurimus, & cujus charitatis igne omnes ad æternam gloriam, & ad ea, quæ sursum sunt, non quæ super terram, quærenda incenduntur. Sed ut nullum a nobis fidei, nullum venerationis, nullum amoris studium *Trinitati* deesse videatur, decet, & convenit nobis omnipotentia Patris submittere animum nostrum, ejusque dominatu regi, & nos ad Filii sapientiam dedere, atque ipsius disciplina doceri, & gubernari, postremo tandem eo de Spiritus Sancti bonitate confidere, ut ab sui amoris illecebris nos pertrahi æqui bonique faciamus. Hinc finem, jam faciam; cumque in hominum mente quædam ejusdem *Trinitatis* imago a sanctis Patribus dignoscatur, exclamare liceat cum Divo Bernardo (a): o beata, & beatificans *Trinitas*, ad te mea misera trinitas miserabiliter suspirat; nam a te discedens multis doloribus, calamitatibus, & ærumnis involvitur.

## F I N I S .

---

(a) *Serm. II. sup. Cant.*



